



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE ET SI DISTRIBUERO**\* VENERABILI DEI SERVAE  
SANCTIAE IOANNAE SZYMKOWIAK

**BEATORUM HONORES DECERNUNTUR.** Ad perpetuam rei memoriam. — « Et si distribuero in cibos omnes facultates meas et si tradidero corpus meum, ut glorier, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest» (1 Cor 13, 3). Venerabilis Serva Dei Sanctia Ioanna Szymkowiak magnis operibus socialibus non eminebat, sed caritate evangelica qua omnem suam navitatem vivificavit atque, hac ratione, amoris Dei et proximi pulcherrimum dedit testimonium. Filia Poloni populi die X mensis Iulii anno MCMX loco vulgo *Modanów* est nata, tunc in archidioecesi Posnaniensi-Gnesnensi. in familia quae optimam illi religiosam dedit educationem. Scholis primariis in nativo loco expletis, cum familia in «Ostrów» est profecta atque gymnasium et lyceum loco illo frequentavit. Sodalieium Marianum est ingressa, spiritu misericordiae et orationis excellens. Curricula deinde apud Facultatem Litterarum Studiorum Universitatis Posnaniensis est prosecuta, singularem amorem ostendit erga naturam, tabulas pinxit atque clavicymbalum pulsare didicit. Diligentissimo vitam spiritualem coluit diuturne orationi se dicans. Vocationem ad vitam consecratam praesentens, Galliam anno MCMXXXIV petiit atque Congregationem Sororum Oblatarum Sacris Cordis Iesu est ingressa. Impensam ob familiae instantiam, in Poloniam est reversa atque, anno MCMXXXVI in Instituto Filiarum Beatae Mariae Virginis Perdolentis, a beato Honorato Komiski O.F.M. Cap. condito et a Serva Dei Margarita Lucia Szewczyk, vitam consecratam est amplexa. Die 30 Iulii anno MCMXXXVIII temporaria nuncupavit vota. Ab initio vitae consecratae zelo eminebat in servanda Regula atque humilitate in exsequendis officiis. Matris Magistrae rigidas obiurgationes silentio suscipiebat. Professione nuncupata religiosa, in asylo infantium loci vulgo Naramowice diligenter adlaboravit. Altero mundiali bello saeviente, in Posnaniensem reversa est urbem, a Germanis tunc occupatam. Soror Sanctia Ioanna maxima cum animi deditione de militibus curam adhibuit et praesertim de captivis qui ad tempus in Sororum conventu morabantur. Studiose constanterque ad sanctitatem iter percurrit, simpliciter humiliterque fidem in Christum testificans. Spiritalem vitae rationem pietate erga Eucharistiam, Sacrum Cor Iesu et Virginem Sanctissimam devote aluit. Altam in Dominum fiduciam ostendit, pacem spemque christianam in se ipsam atque in proximum diffudit, multas superavit difficultates animique angustias. Prudens fuit in rebus discernendis, sapiens in dandis consiliis, temperans in omnibus rebus, a bonis honoribusque terrestribus separata. Ad caelestem beatitudinem tantummodo tetendit, consilia servans evangelica Regulamque sui Instituti. Gravi tuberculosi morbo est correpta, quem patienter sustinuit. Die VI Iulii anno MCMXLII, graviter aegrotans, perpetua vota nuncupavit se altiore etiam ratione cum Christo coniungens, qui die XXIX mensis Augusti eam ad se vocavit. Sanctimoniae fama crescente post obitum, annis MCMLXX-MCMLXXIX Processus Ordinarius Informativus apud Curiam ecclesiasticam Posnaniensem est

celebratus. Omnibus de iure diligenter expletis, die XVIII mensis Decembris anno MM, Nobis adstantibus, decretum promulgatum est de virtutibus theologalibus et cardinalibus iisque adnexis heroum in modum a Sorore Sanctia Ioanna Szymkowiak exercitis. Die V mensis Iulii anno MMII decretum super miraculo prodiit quod eiusdem Venerabilis Dei Servae intercessionis est adsignatum. Statuimus igitur ut beatificationis ritus, occasione data itineris Nostri pastoralis, die XVIII mensis Augusti anno MMII Cracoviae perageretur. Hodie igitur inter Missarum sollemnia hanc protulimus formulam: *Speniajc yczenie naszych braci Józefa Kardynala Glempa, Arcybiskupa Metropolity Warszawskiego, Józefa Michalika, Arcybiskupa Metropolity Przemyskiego, Franciszka Kardynala Macharskiego, Arcybiskupa Metropolity Krakowskiego i Stanisława Gdeckiego, Arcybiskupa Metropolity Pozaskiego jak również wielu innych braci w biskupstwie oraz licznych wiernych, za rad Kongregacji Spraw Kanonizacyjnych, nasz Wadz Apostolsk zezwalamy, aby otd Czcigodnym Sugom Boym: Zygmuntowi Szczsnemu Feliskiemu, Janowi Balickiemu, Janowi Beyzymowi oraz Sancji Szymkowiak przysugiwal tytu bogosawionych, i aby ich wita obchodzono w miejscach i w sposób okrelony przez Prawo. Dla Zygmunta Szczsnego Feliskiego bdzie to corocznie 17 wrzenia, dla Jana Balickiego 24 padziernika, dla Jana Beyzyma 12 padziernika , a dla Sancji Szymkowiak 18 sierpnia. W imi Ojca i Syna, i Ducha witego. Eximia praeclaraque haec soror insignes dedit religiosae pietatis operumque honorificorum testificationes. Pertinet ipsa ad spectabilem illarum religiosarum coetum quae suaviter cunctos hortabantur, cunctis opitulabantur cunctos spiritalibus praesidiis consolabantur. Ea ideo coram omnibus fulgens habetur exemplar, unde catholica fides et navitas usque proferantu et quam plurimos homines attingant. Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. Datum Cracoviae, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Augusti, anno MMII, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius*

---

*Status*

\*A.A.S., vol. XCVI (2004), n. 4, pp. 190-192 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana